

**05**

**A**

**1873**









19  
Q. D. B. V.

Ex

Philosophia Morali

De

# CONSCIENTIA,

in Electorali ad Albim Athenæo

*Sub PRÆSIDIO*

M. DANIELIS Spiegelis /

*disputabit publicè*


RESPONDENS

CASPAR HENRICUS REUSNERUS,

Vratislaviâ - Silesius.

*a. d. 13. Jul. A. O. R. M. DC. LXIV.*

in Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.




Philosophia Morali  
CONSCIENTIA



05 A / 1873







## Prooemium.

**N**IL majus concessum est diuinitus homini, quàm scientia. Per hanc à brutis secedimus, ad DEUM accedimus. Quid sanè nobilius, quàm ipsum DEUM, spiritusq; purissimos cognoscere? Quid jucundius, quàm, dum in terris degimus, ad cælum avolare, ejusq; flores legere? Quid suavius, quàm Corporum omnium naturas subtiliter investigare & comprehendere? Magna sunt hæc magni DEI munera: majus, si nosmetipsos intelligamus. Ibi scientiæ multum sepius, conscientiæ parum. Dum enim aliena querimus, nostra negligimus. Sed cur ad externos curritur? Quod addiscamus, in nobis abunde occurrit. Tu quis ipse sis, facile quidem senties: sed dic, quæso, qualis sis? Hoc opus, hic labor est: rectissimè tamen addisces, si propriam Conscientiam attentè audiveris magistram. Hæc Te de te informabit. Sat doctus eris, si noveris cœlitus delapsam  $\nu\omega\delta\iota\sigma\tau\alpha\nu\lambda\omicron\nu$ . Et tale quid impresentiarum tentamus. Faxit DEUS, Feliciter!

I. A quæstione, *An sit?* inciperemus statim nostram tractationem, nisi è præscripto Philosophorum nominis definitio foret præponenda. Parebimus e. mandatis. Dicitur a. nonnullis Conscientia, quasi *cordis Scientia*, quia, ut Hugo loquitur, citante B. D. Balduino in Cas. Consc. lib. 1. c. 2. *cor & se novit suâ scientiâ, & multa alia: quando novit se, appellatur Conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia.* Unde & acta tantum propria respicere dicitur Conscientia. Aliis Conscientia dicitur, quod sit quasi *duplex quædam scientia*, & quasi quidam præco legis naturalis ac divinæ, Plures Conscientiam vocant

A. 2 quasi



quasi *concludentem scientiam*, quod Syllogismos practicos faciat, & ex universalibus principiis particulares formet conclusiones. Ibi enim *Major* ex lumine vel naturæ vel scripturæ suppeditatur, e. gr. *Parentes sunt honorandi, aut certò punieris*: *Qui sanguinem humanum effundit, ejus sanguis etiam effundetur*. Hinc *Minor* ex notitiâ factorum nostrorum desumitur: *Tu Parentes non honorasti; Tu sanguinem humanum effudisti*. Mox, quæ non potest non sequi ex præmissis, inferitur *Conclusio*: *E. punieris; E. sanguis tuus effundetur*. Sed dum in hisce *Rei natura* attenditur, *vocis structura* negligitur.

II. Magis utramq; ii fortè observabunt, qui à *Con & Scientia* derivant, ut *Conscientia* sit quasi *cum aliis Scientia*, vel *Scientia actorum*, quæ pluribus sunt cognita. Quemadmodum enim *sciens & conscius in eo differunt*, quod *sciens secum, conscius cum alio sciens sit*, teste *Nonio*; ita & *Scientia* nudam actorum notitiam denotat, *Conscientia* alios eorum conscios involvit: ut ut *perpetua non sit hæc differentia*. Postquam enim *sciens* non ita frequentatur, utriusq; locum *consciens* occupavit. Ita *Virg. 1. Æn.* *& mens sibi conscia recti*. Interea *Conscientia* non sola novit, sed cum aliis. Sanè omnituentem *DEUS* habet oculum. *Est profecto DEUS, qui, quæ nos gerimus, auditq; & videt*. Si facta sunt externa, etiam norunt *sancti Angeli*. In quòvis hinc angulo *reverentia habenda est angelo*. Nec *diabolus* ea ignorat: *primus hic exactor est ad culpam, & tortor ad pœnam*. *Conscios & actorum habemus alios homines*. Rarò enim *peccamus soli*, quo fit, ut uno *sciens*, sciant facile plures alii. Sic & *innocentia* non desunt testes sui.

*Fama manet facti, posito velamine currunt,*

*& memorem famam, qui benè gessit, habet*. *Ovid. 2. Fast.*

Immodò *cælum, terra, omnesq; Creaturæ* suo modo de factis nostris testantur. Sic ergò particula *Con* tum factum & ejus notitiam, tum aliorum testimonium innuet.

III. *Etymologiam* vidimus: adjicienda nunc est *Homonymia*. Sumitur (1.) pro *συνηνεία*, quæ tamen *fundamentum* potius est *Conscientiæ*, quàm ipsa *Conscientia*. Liceat ea propter & ipsam *συνηνείαν* exactius considerare, quò *conscientiæ*, totiusq; tractationis firmiter stare queat ædificium. Audit eadem mox *potentia*  
& *facul-*



Et facultas animæ, mox habitus aliquis principiorum practitorum.  
 Et sane, non nuda potentia videtur esse συντήρησις, quasi ad prima  
 ista principia intelligenda non opus sit habitu ulteriori. Omni-  
 nò qualitatem aliquam superadditam observamus, quæ facit,  
 quò certius ea intelligamus, & expedite, promte ac sine fluctua-  
 tione omnibus assentiamur. Verum, quod si *Habitus? Conna-  
 tusne* erit, an *acquisitus?* Acquisitum rectè dixeris, si cum Alste-  
 dio per συντήρησιν habitum principiorum practitorum, Intelli-  
 gentiæ principiorum theoreticorum, & Intellectui organico  
 poetitorum habitibus, contradistinctum, (qui rectius aliàs cum  
 habitu principiorum organicorum sub intelligentiâ contine-  
 tur,) intelligas. Sed h. l. habitum quendam *naturalem principio-  
 rum operabilium* denotat, secundum *Thomam*, V. B. *Meisn.* de  
 Leg. p. 172. aut, ut *Exc. Durrius Prof. Altorff* habet in *Instit. Ethic.*  
 p. 96. *principiorum practitorum & legis naturæ cognitionem omni-  
 bus hominibus sanâ ratione utentibus, naturaliter insitam.* Non ergò  
 nuda δύναμις κερπή est Synteresis, sed quid ab eâ distinctum,  
 nobisq; *connatum*, in quo iudicium conscientiæ fundatur: ubi  
 tamen, si hoc exactius esse debeat, in totum abesse habitum  
 principiorum practitorum *acquisitum*, non putamus. Nam ex  
 naturâ facile quidem cognoscuntur ista principia; at facilius, si  
 accedat habitus intelligentiæ per crebra exercitia acquisitus, fir-  
 matus & consolidatus, qui mentem flectit & faciliat ad assen-  
 tiendum principiis primis, ceu τελειώσις τῆς φύσεως.

IV. Tunc verò Conscientia pro Synteresi sumitur, quando  
 eam *Origenes* pædagogum animæ sociatum, *Basilius* naturale  
 iudicatorium, *Damasenus* Lucem intellectus nostri vocitat, &  
*Hieronymus* scintillam conscientiæ, (quam συντήρησιν Græci vo-  
 cant) in Adamo quoq; postquam ejectus est ex Paradiso, non  
 fuisse extinctam, scribit. Sed hæc acceptio nostra non est. Neq;  
 (2.) ea, quando δύναμιν *judicandi* tantum infert ad propria facta  
 relata: sic enim facultas ista Conscientia vocatur, ubi, si ad  
 omnia generaliter extendatur, ipse intellectus practicus est, aut  
 saltim modo differt. Neq; (3.) *speciales acceptiones* h. l. valent,  
 quando denotat vel *solam Majorem* Syllogismi practici, i. e. re-  
 gulam agendorum vel fugiendorum, quam ipsa Synteresis ex-



plicata præscribit: vel *solam Minorem*, i. e. recordationem ac notitiam factorum: vel *solam Conclusionem*, i. e. internam de actis iudicium, sententiamq; decisivam, num benè aut male gesta sint. (4.) Restat *generalis significatio*, quando Conscientia usurpatur *de toto Syllogismo pratico*, & præmissis & conclusione constante.

V. *Dari nunc istiusmodi Conscientiam*, in probando non erimus prolixi. Quivis semetipsum interroget, & in promptu habebit responsionem. Agendorum indicem, actorumq; testem & iudicem quivis in corde gerit. *Conscientiam*, ait Cic. pro Cluent. *à diis immortalibus accepimus, quæ divelli à nobis non potest*: immò, ut *Menandri Jambicus* habet: *Βροτῶς ἀπ᾿ αὐτῶν ἡ συνείδησις θεῶν*, h. e. *cunctis hominibus conscientia est Deus*. Si peccaveris, accusabit & terreat; si benè egeris, excusabit & hilarem reddet. *Magnam enim vim habet conscientia in utramq; partem, ut semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccaverint, & nihil timeant, qui nihil admiserint*, ut habet Cic. pro Milon. Accidat forte, ut quis inficietur ista foras, fatebitur tamen intus. Ad tempus dormiat Conscientia, ut in phreneticis ob rationis defectum, in iracundis ob affectuum violentiam, in hæreticis & persecutoribus ob cordis indurationem; evigilabit tandem. *Induretur apud nonnullos, quos Germani Gewissenlose* / *D. Paulus πεκαυτησιασφόρος τὴν ἰδίαν συνείδησιν*, 1. Tim. IV, 2. vocant, omniq; sensu destituatur, uti membra cauteriis adusta, sentiet tandem suos stimulos. *Mortua sit*, nec tamen emortua est, vel in ipsâ morte à Deo excitanda, ubi hominem tempore minus tempestivo flagellabit.

VI. *Definitione nominis & quæstione, An sit?* explicata, quæstio *quid sit?* seu *definitio rei* subnectenda est. Autores prævios sequeris? Immensum navigabis æquor. Tanta scilicet descriptionum Conscientiæ varietas, ut quamnam eligas, incertum sit; novam formare, periculosum; omnibus numeris perfectam, difficile. Nec enim res per se una est Conscientia: multa involvit. *Actus est*; sed & *potentiam* implicat: ad *intellectum* referenda; sed nec *Voluntas* excludenda prorsus, nec *memoria*. Sed tentabimus definitionem. *Conscientia est actus anime rationalis,*  
quò



quò faciendā dīctantur, & facta post testimonium datum dijudicantur.

VII. *Actus* dicitur, maximè *secundus*, ita tamen, ut non excludatur omnino *Actus primus*, seu *potentia*. *Actus* enim *secundus* præsupponit *primum*. Nec semper dīctat, excusat vel accusat, aut iudicat *actu*; Si enim merus *actus* foret, in dormiente *Conscientia* non esset, nec in phreneticis, aliisq; quos §. 5. citavimus. Sanè *actus secundus* hīc desideratur: *negato autem actu secundo non statim est negandus actus primus*.

VIII. Est porrò *actus animæ rationalis*. Hinc in *brutis Conscientiam* non quæras. Ob actiones suas nec accusantur, nec excusantur, naturales quia sunt, non morales. Licet etiam *Spiritibus completis Conscientiam* non denegemus omnem, quòd concreatam habuerint *Legem aliquam*; e. gr. *Dēus est colendus*: quam boni observârunt, mali neglexerunt, eaq; propter isti in bono confirmati, hi in malo obdurati sunt: attamen vix propriè ita dīctetur, cū non possint non hodiè mali malè, boni benè agere. Aut, si ita dīctetur, nihil tamen ad nos spectat, à Theologis explicanda. Quam ergò nos tractamus, *actum animæ rationalis* vocamus.

IX. Cum verò per qualitates suas efficax sit substantia creata, *actum* hunc animæ rationali tribuimus ratione qualitatū vel facultatum, i. e. ratione *intellectus & Voluntatis*. Ad *intellectum* quid. *primariò Conscientia* spectat. Nam *scire, nosse, dīctare, obligare, convincere, iudicare actus* omnes sunt *intellectus*. Intellige autem *intellectum* non *theoreticum*, sed *practicum*: in nudâ enim cognitione boni vel mali non acquiescit *Conscientia*, sed eam ad praxin dirigit, ut sc. bonum præsteretur & obtineatur, malum evitetur.

X. Ad *Voluntatem secundariò* spectat. Nam præter *actum intellectus practici* quandam simul *Voluntatis inclinationem* conjunctam habet *Conscientia*. *Honestas* quando *intellectus* præscribit, ad illa fertur *Voluntas*, quæ cum naturali agendorum notitia *Conscientiam in actu primo* constituit. Quid? quod etiam quoad *actum secundum* ad *Voluntatem* pertineat *Conscientia*: idq; tum *ante*, tum *post factum*. *Ante*, quatenus *Voluntas* in specie inclinatur ad agendum, uti mens præscribit. *Post*, quatenus  
Volun-



Voluntas detestatur factum, & mordere incipit. Nam *detestari mordere*, actus Conscientiæ sunt: à Voluntate autem proveniunt, ideoq; Voluntas simpliciter excludi non debet. Immo à *memoria* quoq; ob facti conservationem, & commemorationem perpetuam suo modo est referenda. Atq; hæc circa *genus* definitionis datæ.

XI. *Differentiam* reliqua suppleverba. Desumptam observabis eam à variis Conscientiæ *officiis & actibus* ad numerum & ordinem Propositionum in Syllogismo pratico, quem *format* Conscientia, enumeratis. In *Majori* enim faciendâ dictantur: in *Minori* de factis testimonium profertur: in *Conclusionem* tandem de factis judicatur. In specie singula explicabimus.

XII. Primum Conscientiæ officium, quod in *Majori* exequitur, est *Faciendorum Dictamen*. Nimirum sic Conscientiam principium humanarum actionum esse deprehendes. Præter enim appetitum seu motionem & inclinationem Voluntatis vel appetitus ab intrinseco factam, (quam idcirco cum intellectu conjunximus,) ad actiones liberas & spontaneas cognitio simul, seu *Scientia circumstantiarum* requiritur, quam *Conscientiam* appellant Ethici. Est ergo inclinatio illa appetitûs principium aliquod internum actionum spontanearum: ubi enim principium externum accesserit, quod in agente non sit, agentem autem cogat, *invitum* habebis per *violentiam*. Et hæc inclinatio κατ' ἐξ ὄχλω principium vocatur. Est tamen & Conscientia principium internum, mediante licet appetitûs inclinatione, quemadmodum & intellectus causa actionum non est, nisi interveniente appetitu. Cave & hic principium externum nomines: sic enim habebis *invitum per ignorantiam*. Quamvis autem ipsa Lex divina & naturæ principium sit & norma actionum, propius tamen huc accedit legis utriusq; cognitio, h. e. Conscientia. Sic & ll. civiles norma, ad quam tota Resp. componitur, rectissime vocantur, propior tamen est ipsa scientia istarum ll. Etenim tum demum lex obtinet, cum ad notitiam vel pervenit vel pervenire potuit. *Hornej. Phil. Mor. lib. 3. c. 4. n. 3.*

XIII. Sed potestatem dictatricem ita exercet. *Proponit* primò & *suggestit*, quid & legi naturæ & divinæ consentaneum sit vel dissentaneum, aut in universum, quid fieri vel non fieri in  
Vitâ



Vitâ debeat. Nam in Conscientiâ, velut in speculo, rationis oculus, tam quod decens, quam quod indecens est, in se claro aspectu apprehendere potest. Bernhard. Nec hoc tantum: Mox hortatur & instigat, si quid faciendum; sin omittendum, retrahit & effectum impedit, tandemq; ita obligat, ut nulla dispensatio efficere possit, quo minus peccet, qui contra Conscientiam agit propriè dictam. Ipsa quid. Conscientia resp. Dei legibus est subiecta & obligata; (de quâ passivâ obligatione inferius:) sed hominis respectu ipsa potestatem habet in hominis acta, ipsa obligat. Est enim præco quidam legis naturalis & divinæ. Sicut ergo præco Judicis obligat eum, cui insinuat judicis mandatum, licet non virtute sui, sed mandati Judicis: ita & Conscientia virtute legis, cujus est præco, cum mandatum vel prohibitionem homini insinuat, obligare dicitur.

XIV. Variat autem dictamen hoc & judicium intellectus, estq; tergeminum: *Rectum, Probabile & Erroneum*. Erit ergo & Conscientia triplex: *Recta, Probabilis & Erronea*, cum nihil sit aliud, quam ipsum intellectus judicium. Constat hic numerus, quia judicium ex ratiocinatione provenit, quæ argg. suis innititur. Quot ergo generum sunt argumenta, tot quoq; ratiocinatio, ipsaq; Conscientia. Sed trium generum argumenta esse, ex Logicis patet: *apodictica* nim. & *evidentia, doxastica seu verisimilia, Sophistica* & veritatis speciem mentientia. Judicet nunc intellectus de rebus agendis, adductus argg. apodicticis, nascitur *Conscientia Recta & Certa*; sin rationibus probabilibus nitatur, *Probabilis*; si deniq; falsis, *Erronea*.

XV. Addunt Scholastici *Dubiam & Scrupulosam*. Sed minus propriè inter Conscientiæ genera recensentur. Conscientia propriè est judicium. Annon autem & judicat, qui dubitat & nescit, utri contradictionis parti assentiri debeat? Nullum hic fertur, sed suspenditur potius judicium. Sic, quale judicium de rebus agendis, ubi quis ea, quæ facienda judicavit, dum facit, non sine peccato fieri posse suspicatur? *Impropriè ergo dicta* Conscientia est, quæ dubia & scrupulosa vocatur. Retinent nihilominus nomen Conscientiæ, cum pro objecto habeant actiones morales, in quibus ratio honestatis aut turpitudinis, laudis aut vituperii

B

reperi-



reperitur. Accedit, quod dubitatio & trepidatio intellectus aliquando iudicium vocentur. Ita verò quinarium probant numerum. Intellectus practicus vel *statuit* aliquid agendum, vel *dubitatur*, vel *trepidat*. Si *statuit*, aut *firmiter* statuit, vel *non firmiter*. Si *firmiter*, vel vicissim *rectè atq; verè*, & existit *Conscientia recta*: vel *firmiter*, *falsò & non rectè*, & est *Conscientia erronea*. Si *non firmiter*, sed probabiliter, *probabilis est Conscientia*. Si *dubitatur*, *dubiam*; si *hæsitat*, *hæsitantem & scrupulosam* parit *Conscientiam*.

XVI. *Recta itaq; Conscientia est, quæ id faciendum aut omittendum dicitur, quod cum ll. divinis, naturæ & humanis verè convenit aut disconvenit.* Ubi duo notes: (1.) *Rectæ Conscientiæ fundamentum*, (2.) *dicitandi modum.* *Fundamentum primum & immediatum* sunt ll. *divinæ & naturæ*; *Secundarium & mediatum* ll. *humanæ*, de quibus infra. *Modus dicitandi duplex potissimum est*: Aut enim dicitur aliquid ut *factu necessarium*, & sic simpliciter præcipit fieri aliquid aut non fieri; aut *non ut necessarium*, & sic suadet tantum, ut melius, commodius & tutius fieri aut non fieri, quam non fieri aut fieri. Ibi instinctus vehementior est, hic mitior: ibi arctior ad iram & pœnam seu divinam seu humanam est obligatio; hic remissior. Quocunq; nunc modo dicitur, non potest non crimen incurrere & pœnam, qui contrarium egerit, quia sciens & volens agit contra ea, quæ notoriè sunt jure divino & humano definita. *Præcipit necessarium?* In tuo arbitrio non erit parere aut reniti. Habes hic regulas rectè agendi, quas si transcendas, innoxius non eris. *Suadet melius?* Et tunc parendum est. *Levior quid. ea est, quæ sequitur pœna, tibi gravissima futura.*

XVII. Spectat huc vexatissima illa quæstio: *An Judex judicare possit secundum acta & probata contra propriam Conscientiam?* Id est: An Judex hominem, quem solus scit innocentem esse, accusatum tamen & mole testimoniorum obrutum, contra acta & probata absolvere; aut, quem scit esse reum, nec tamen per acta & probata convinci videt, condemnare possit?

*Hinc atq; hinc vastæ rupes, geminiq; minantur*

*in cælum scopuli*

*Virg. I. Æn.*

*Absol-*



Absolvetne innocentem sufficienter convictum? Aut condemna-  
bit reum non convictum? Non liquet. Sic enim ordo & leges  
judiciorum perturbarentur, & forte, dum rei aut vitæ privati  
atq; unius hominis consulitur, tota Resp. pessum iret. An verò  
innocentem condemnabit, & reum absolvet? Non licet. *Qui  
enim justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est  
uterq; apud Deum, inquit ipse Deus Prov. XVII. 15.*

XVIII. Varias hinc apud varios, immò contrarias reperire  
licet sententias, præprimis *de condemnatione innocentis convicti.*  
*Dominicus à Soto lib. 5. de Just. & Jur. q. 4. art. 7. fol. 155. b. citante*  
*B. Meisn. in Phil. Sobr. part. 3. Sect. 2. c. 5. q. 4. tres recenset opi-*  
*niones. Prima, inquit, est in uno extremo, omninò D. Thomæ con-*  
*traria, puta, quod in nullo casu sc., neq; in causâ civili, neq; in crimi-*  
*nali licet judici condemnare eum, quem evidenter scit esse innocen-*  
*tem; quantumvis legitimè probetur reus. Nam citra evidentiam*  
*nemo ambigit, sequendum esse judicium publicum. Secunda opi-*  
*nio utitur distinctione: nempe quod in causâ criminali, seu capitalis*  
*sit, seu ullius mutilationis, nequit Judex condemnare innocentem*  
*secundum allegata & probata. Secus autem in civilibus, puta, cum de*  
*pecuniâ agitur, aut de aliarum rerum possessione. Tertia ergò*  
*opinio est in alio extremo, secundum quam statuimus conclusionem*  
*tertiam: Judex in ultimas conclusus angustias, debet in omni causâ*  
*tâm criminali, quàm civili contra veritatem sibi notam, secundum*  
*allegata & probata sententiam pronunciare. Hæc, inquam, opinio*  
*est S. Thomæ. Legitur ea 2. II. q. 67. art. 2. his verbis: Judicare*  
*pertinet ad judicem, secundum quod fungitur publicâ potestate. Et*  
*ideo informari debet in judicando non secundum id, quod ipse novit,*  
*tanquam privata persona, sed secundum id, quod sibi innotescit,*  
*tanquam personæ publicæ. Hoc autem innotescit sibi & in communi*  
*& in particulari: in communi quidem per leges publicas vel divinas*  
*vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet: in par-*  
*ticulari autem negotio aliquo per instrumenta & testes & alia hujus-*  
*modi legitima documenta, quæ debet sequi in judicando magis, quàm*  
*id, quod ipse novit tanquam privata persona. Et huic Thomæ*  
*sententiæ pleriq; Pontificii non tantum, sed & alii plurimi*  
*subscripserunt.*



XIX. Cum verò tutam omninò sententiam hanc hand esse observarent, ipsi caverunt maximè, ne in praxi facilè applicetur. Ita *Thomas* 2. II. q. 64. art. 6. ad 3. suadet, ut Judex, si sciat aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, (1.) diligentius testes examinet, quò inveniat occasionem liberandi innoxium, absterrendo sc. testes à perjurio, percontando item de loco, tempore &c. sicut Daniel fecit. (2.) Si inferior fuerit Judex, Eum superiori relinquat judicandum, ipse verò reum testimonio suo juvet, etiam jurato, modò illi eò pacto consuli possit. Addunt *Dominicus à Soto, Toletus* (3.) ut differat sententiam, quantum fieri potest: Immò, si fieri posset absq; ullius damno, & citra scandalum, secretò carceres apertos relinquat, quò se captivus in pedes conjiciat & aufugiat. Quid verò, si examine nihil obtineret Judex? si ad superiorem confugere non posset, utpote cujus ipse personam gerat? si sententia differri, aut captivus secretò dimitti nequeat? *Si hoc non potest, ait Thomas, non peccat secundum allata sententiam ferens.* Et *Toletus* addit: *Nec mirum est in isto foro innocentem pati: nam restat DEI forum, in quò omnis injustitia castigabitur, & justitia premium consequetur.*

XX. Nos, utut consilia ista non improbemus, salva tamen Conscientiâ, Doctoris angelici apprehendere non possumus sententiam: quin potius contrariam assumimus & putamus: *Judicem non posse bonâ Conscientiâ condemnare illum, quem certò novit esse innocentem.* Sciendum autem, notitiam illam Judicis privatam posse duplicem esse: *certam & incertam.* Si Judex suspicatus solum fuerit, hunc hominem falsò accusatum esse, suspicionem allegatis non præferat: sin certò sciverit, h. e., ipse vel viderit vel audiverit, inq; Conscientiâ suâ convictus fuerit, accusatum hunc innocentem esse, privatam notitiam allegatis præferat, veritatemq; in publicum producere laboret, quia veritatem salvâ Conscientiâ oppugnare nemo potest. Major Conscientiæ propriæ, quam falsorum restium ratio est habenda. *Non enim Judicis est sequi turbam ad faciendum malum, neq; in judicio plurimorum sententia acquiescere & à verò deviare.* Exod. XXIII. 2. Quidni ergò privatam potius, quam ipse habet, & quam scit esse certissimam, notitiam sequetur, quàm allegata & probata falsa? Cedant arma  
toga,



toga, Jus legale naturali. Istud, secundum aëta, hoc, secundum  
veritatem rei ut judicetur, requirit. Si aëta Veritati respondent,  
res benè se habet; sin minus, jus naturæ sequitur Judex. Ipse  
certè olim ad tribunal justitiæ divinæ vocatus pro se tenebitur  
respondere, allegatis illis & probatis nihil adjutus. *Quare dum  
hic justitiam administrat, in singulis judiciis se DEum habere testem  
meminerit*, Cic. lib. 1. Offic. Mirum quidem non est, in isto foro  
innocentem pati; eum autem pati, cujus innocentia accuratè  
cognita est Judici, injustum est & impium.

XXI. Nec tantum in causâ *criminali* Conscientiæ dictamen  
actis & probatis præferri volumus; sed idem *in civilibus* quoq;  
ubi de pecuniâ, aliarumq; rerum possessionibus agitur, obser-  
vandum esse, asseveramus. Eadem enim Lex, divina sc. & natu-  
ræ, quæ dicit: *Innocentem ne occidas*, mandat quoq;, ut *unicuiq;  
suum tribuas*. Ergò nec hic licet innocentem condemnare. Utro-  
biq; igitur Judex Conscientiæ suæ habeat rationem: proferat  
scientiæ suæ fundamenta in judicio, tentetq; falsos testes con-  
fundere; vel, si hoc fieri nequeat, officium Judicis deponat po-  
tius, quam innoxium contra suam Scientiam & Conscientiam  
noxium pronunciet.

XXII. Atq; hâc incedere potest *iditissimus*, cum non tantum  
non contra Conscientiam, sed ne quidem contra acta & probata  
simpliciter agere Judex sic videatur. Non agit *contra illam*, quod  
constat. Non *contra acta & probata*: horum enim partem non  
minimam in tali casu ipsa Judicis Conscientia constituit, populi  
verò probata hætenus vim probationis amittunt. Inò *probata*  
vix dici merentur, nisi *ὁμολογῆμας* vel *equivocè*. Nec enim sunt  
veræ certæq; ; sed tantum resp. nostri apparentes, reipsâ falsæ  
probationes, cum omnis legitima probatio sit certa veritatis  
assertio. Adhæc sufficienter convictus aut absolutus non est, qui  
à solo populo, sæpè ab affectibus, nonnunquam falsis rumusculis  
in transversum abrepto; sed qui à judice simul & populo est con-  
victus aut absolutus.

XXIII. De *absolutione nocentis non convicti*, idem ferè judi-  
cium. Licet enim, testante *Hornej. lib. 4. Phil. Mor. c. 4. n. 10.*  
*Soro*, nunquam de eâ dubitatum, adeoq; hoc extra controversiam  
esse,



esse, asserat: non frustra tamen nos dubitabimus, nec gratis contrarium asseremus. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterq; apud DEUM*, Prov. XVII. 15. Non minus malos pœnæ decent, quàm bonos præmia. An verò pœnas irrogare potest Judex salvâ Conscientiâ, ubi malus criminis convictus non est? Omnino: sed ipse certò sciverit, hunc esse reum. Si factum capitale & notorium, totiq; Reip. exitiosum fuerit commissum, Judex, etiam nemine accusante, maleficum ad supplicium trahere potest; antistes enim est ac præsul Justitiæ, imò jus quoddam animatum, ut eum vocat *Arist.* lib. 5. Eth. c. 4. *Aut ergò fiat justitia, aut pereat mundus.* Ut verò satisfiat justitiæ, ut eversioni Reip., quæ scelera impunita necessariò insequitur, obviam eatur, quî potest aliter Judex, quàm ut malum etiam non accusatum, ex Israël tollat? Quod si hoc licitum est, uti nunc probavimus; (quo de videatur *Ægid. Strauch.* cent. post. Qq. Eth. dec. 5. q. 7. aliter licet sentiente *Thomâ 2. II. q. 67. art. 3.*) multò magis reum accusatum, licet sufficienter non convictum, ubi ipse certò scit, eum reum esse, Conscientiæ dictamen secutus, condemnabit Judex. De totâ hâc q. legi potest ap. *Thomam* locis alleg., *B. Bald.* lib. 4. cap. 12. cas. 4. *Meisner.* in *Phil. Sobr.* part. 3. sect. 2. cap. 5. q. 4., *Hornej.* lib. 4. c. 4. n. 10-15. Atq; hæc quoad *Conscientiam Rectam* sufficient.

XXIV. *Conscientia probabilis vel opinativa est, quæ facienda vel omittenda dicitur cum formidine oppositi.* Dicitur *probabilis*, quod probabilibus saltim & verisimilibus nitatur argg., quæ non solidam scientiam, sed qualemcunq; tantum opinionem, (unde & *opinativa* vocatur,) generat. Duo autem hîc requiruntur: (1.) *assensus*: Assentiatur n. rei intellectus, & ad unam contradictionis partem declinet, ob certas aliquas rationes: aliàs, ubi anceps fuerit Conscientia, non *opinativa* erit, sed *dubia*; ubi rationem nullam habuerit, non *probabilis* erit, sed *nulla*: (2.) *formido oppositi non dubitativa*, quia alterutri contradictionis parti Conscientiam probabilem assentiri, jam dictum est; sed *assertiva*, quæ determinatum assensum non excludit, cum rationes habeat suas, propter quas assentiatur, rationes autem hæc probabiles tantum judicat, non evidentes aut certas, ita ut fieri possit, quo re-

aple



apfe opposita pars vera fit, & altera illa falsa. Atq; hanc ipsam formidine à Conscientia recta (quæ, nisi usus loquendi Philosophicus approbaret, quod argg. necessariis & apodicticis nitatur, certa rectius vocanda, cum & ipsa probabilis recta sit, licet cum formidine oppositi) distinguitur.

XXV. Hinc & dictamen Conscientiæ probabilis æquè obligat, ac Rectæ, ita, ut rectè faciat, qui juxta eam agit; malè, qui contra. Variat autem hæc Conscientia & ejus obligatio pro diversâ ratione *opinionum, principiorum, ipsarumq; personarum*. Non obligat, ubi *opinio* planè est *improbabilis*, quia iudicium practicum, quod ei innititur, est temerarium. Quid verò, si is, qui operatur, existimet, aliquam sententiam esse probabilem, cum tamen revera sit *improbabilis*? Resp. talis Conscientia non probabilis est, sed erronea. Opiniones a. de re aliquâ agendâ ubi *æquè probabiles* sunt, tum licita est actio, secundum quamcunq; instituat. Talis enim operans utrobiquè, quantum in se est, vult operari conformiter dictamini rectæ rationis. Sed evenire quoq; solet sæpius, ut inter opiniones probabiles una sit *magis tuta*, sed *minus probabilis*; altera *magis probabilis*, sed *minus tuta*. Pluribus ista & firmioribus nitatur rationibus; hæc licet pauciores habeat & infirmiores, præ illâ tamen est amplectenda, quod ibi in id, quod peccato proximum est, consentiatur; hinc non ita facile peccetur. Unde &, quod ipsis contradicentibus tutior visa sit sententia, Judicem absolvere posse innocentem, mole testimoniorum convictum, propria probabilior, tutiorem defendere voluimus.

XXVI. *Principia*, quibus Conscientia probabilis innititur, vel *interna* sunt, vel *externa*. Illa ex ipsâ rei naturâ desumuntur; sic probabile est, juvenem, si diu ac sæpè comestationibus prægravet corpus, in libidinem tandem despumare: hæc ab autoritate hominum gravium ac doctorum. Præstat hinc sententia internis nixa principiis: à solis enim autoritatibus si dependeas, omnis sententiæ tuæ cadit autoritas: firmissima est & rationibus & autoritatibus fundata, quam negligere sine ratione, nefas esto.

XXVII. *Personarum* quoq; ratio est aliqua habenda. Nam is, qui opinionem de re aliquâ habet, aut *litteratus* est aut *illiteratus*.

Aliter



Aliter de hujus, aliter de istius opinione sentiendum. Non peccabit literatus, ubi prægnantibus adductis rationibus opinionem vulgatam deserit, contrariamq; defendit, idq; *practicè* potissimum. Ea namq; dicitur Conscientia probabilis, quæ sibi probabiliora & tutiora, non quæ alij visa fuerunt. Huic obtemperandum, nec in gratiam aliorum norma actionum moralium deferenda est. *Theoreticè* quid, ex opinione alienâ formare iudicium sibi Vir doctus potest, ut, quamvis statuat, opinionem, quam ipse propriam de re quâpiam habet, probabiliorem esse, quam quæ est *Od.* communiter, eiq; ob principia interna assentiri non desinat, tamen id deferat autoritati aliorum, ut eorum potius, quam suo iudicio acquiescat. Quæ eruditè deducit *Horney.* Phil. Mor. lib. 3. c. 4. n. 7. Illiteratus autem tunc optimè faciet, quando sibi maximè probabilem sectatur opinionem, quamq; doceri à peritis & probis videt, quamvis illa *in se* non usq; adeò tuta sit. Et hæc de Conscientiâ probabili.

XXVIII. Conscientia Erronea est, cujus iudicium à jure divino aut humano dissentit; seu, quæ dicitur faciendum vel omittendum, quod faciendum vel omittendum non est. Ne nimium materia hæc excrescat, misis aliis, tantum videbimus quæstionem: *An Conscientia erronea obliget, ita, ut peccet, qui contra eam agit?* Duo tamen ad statum controversiæ præsupponenda sunt: (1.) errorem Conscientiæ vel vincibilem esse vel invincibilem. Vincibilis est, qui ab homine evitari potest, si debitam in operando industriam adhibeat, cum ea ignoret, quæ scire poterat ac debebat: Invincibilis est, qui omni humanâ industriâ excuti nequit, cum ea ignoret, quæ scire non poterat. (2.) Errorem alium esse *de re per se bonâ aut malâ*; alium *de re indifferenti*. Ex his geminam damus conclusionem:

XXIX. (1.) *Si error vincibilis est, & de re per se bonâ aut malâ, peccat aequè, qui secundum, quàm qui contra Conscientiam errantem agit.* Et quidem, si secundum eam homo operetur, reatu peccati se involvit, quia in errorem consentit, &, cum posset, non vult deponere, aut eidem tollendo debitam diligentiam adhibere. Sin contra Conscientiam talem agat, itidem peccat. Quamvis enim talis actio *in se* spectata legi divinæ aut humanæ non repugnet;



pugnet; quia tamen animus agentis in actione morali præprimis attendendus, hic autem ita se habeat, ut non tantum statuat, id, quod agit, lege divinâ aut principis esse prohibitum, etsi revera prohibitum non erat; sed etiam, quantum in se est, leges istas violare contendat, pro vitiosâ merito habetur.

XXX. (2.) *Si error invincibilis est, & de re indifferenti, peccat, qui contra Conscientiam errantem agit, non item, qui secundum eam.* De errore invincibili res clara est. Peccat enim, qui contra Conscientiam sic errantem agit, quia actio ejusmodi conjuncta est cum peccandi & leges divinas atq; humanas transgrediendi voluntate. Non autem peccat, qui secundum eam agit, quia sequitur normam agendorum ordinariam, etsi Conscientia errore, nullâ humana diligentia superabili sit involuta; unde hic error culpabilis non est. In rebus indifferentibus sic procedendum: Non peccat, qui secundum Conscientiam errantem agit, quia judicat talis Conscientia, ejusmodi rem esse licitam: peccat, qui contra eam agit, quia propter Conscientiam unum fieri oppositorum nequit. E. gr. Si quis Christianorum, dictante Conscientiâ errante, à suillâ carnibusq; aliis abstinendum esse, persuasus foret, nec abstineret, peccaret contra Conscientiam; non item, qui secundum eam agit, à carnibus abstinens. Plura de hac qu. lege sis ap. Thomam 1. II. q. 19. art. 5. Azor. in Instit. Moral. tom. 1. lib. 2. c. 8. B. Balduin. lib. 1. de Consc. c. 7. Hornej. l. c. n. 5. Durrium in Instit. Ethic. p. 105. Atq; hætenus de Conscientiæ speciebus συνώνυμος talibus: dubia enim & scrupulosa æquivocè ita dicuntur. (Repete §. 15.) de quibus tamen breviter.

XXXI. *Dubia Conscientia est, quæ dictare & judicare nequit, nunquam actio sit licita, nec ne.* Dupliciter autem id fieri contingit: vel simpliciter judicat rem esse incertam, ut quando pro neutrà contradictionis parte in promptu sunt argg., quibus assensus possit persuaderi; vel secum in utramq; partem disputat paribus rationibus sine declinatione ad alterutram contradictionis partem. Nihil ergo judicat, sed dubitat, quid judicare debeat.

XXXII. *Nihil autem omninò Conscientiâ dubiâ est agendum.* Non solum enim peccandi periculo se exponit, qui dubiâ Conscientiâ quid agit; sed etiam peccato consentit, cum actum illum in peccata maximè proclivem esse optimè norit, nec tamen ab eodem abstineat, perinde habens, seu legem observet, seu violet; seu Deum

C

offen-



offendat, seu non offendat. Distinguunt quidem cum *Becano* Conscientiam dubiam in *speculativè* & *practicè* talem, ut Conscientia *theoreticè dubia* sit, quando quis extra exercitium actionis de re universali dubius est, licita ne sit an illicita; v. gr. an liceat hostem prodere; *practicè verò dubia*, cum quis in ipso exercitio actionis de re singulari dubitat, an hîc & nunc liceat agere, ut si quis prodendo hostem dubitet, an rectè faciat. Dicunt, qui *practicè dubiâ* Conscientia agit, eum peccare; non tamen illico, qui Conscientiâ *theoreticè dubia*. Verum in tantum iudicium theoreticum à pratico distare non potest, ut illo existente incerto, hoc certum aut probabile esse possit, cum perpetuò unum alteri respondeat. Sic quandiu quis dubitat, an liceat hostem prodere, certus utiq; esse nequit, an ipse rectè agat hostem prodendo. Ubi verò aliquis certus est *practicè*, nec amplius dubitat *theoreticè*: & sic agit secundum Conscientiam *certain* aut *probabilem*, ubi legibus *consentanea* dictata fuerunt; ubi *dissentanea*, secundum *erroneam*.

XXIII. *Conscientia tandem scrupulosa est, quæ, quid licitum aut illicitum sit, iudicat, sed ita, ut scrupulus subsit. Assensum nempe alteri contradictoriarum præbet & certis ex causis adhæret, ita tamen, ut subsit quidam scrupulus ex suggestione dæmonis, inscitia, imbecillitate iudicii, scrupulorum consortio, & similibus ortus. Quando nunc quis scrupulum istum majoris facit, quàm firmiores pro alterâ contradictoriarum rationes, peccat, quia contra Conscientiam agit, propter scrupulum. Si verò majoris faciat rationes alterius sententiæ, quàm scrupulum, rectè agit contra scrupulum agendo. Bene tamen attendatur, *rationalis* ne sit scrupulus, an *irrationabilis*. Si *rationalis*, rectè fecerit, qui ejus rationem habuerit, etsi ad id propriè non obligetur: sin *irrationabilis*, negligendus est, & quantum fieri potest, animo ejiciendus. Sed de hâc Conscientiâ pluribus agunt Casuistæ. Nos ad reliqua Conscientiæ officia pergimus.*

XXIV. Postquam itaq; Conscientia faciendâ dictavit, ad *Minorem* progressa Syllogismi practici *Testimonium de factis* exhibet. Quàm operosa hîc est Conscientia *annotando, repetendo, excusando & accusando!* Beneficio nimirum memoriæ *annotat* omnia, quæ agimus. Animæ quasi calamus est & notarius, qui consignat omnia, ne quicquam oblivione pereat. Quæ multis retro elapsis  
seculis.



seculis dicta factave sunt, novit accuratissimè. Mox reperit ista, & instar præconis proclamat locutiones tuas, externas actiones, affectûs, immò & ipsas cogitationes. Nec sensûs aliquo interprete eget: ipsa *Conscientia mille testes*. Etsi clausis parietibus coopertus fueris tenebris, sine teste, sine conscio; habes hic testem oculatissimum. Hinc rectè *Seneca ep. 43. Quid prodest recondere se, & oculos hominum auresq; vitare? Bona Conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atq; sollicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem.*

XXXV. Sed audiamus porrò hunc testem, quid annotet, quid repetat & quomodo. *Quæ congrua dictamini, quæ discongrua facta sunt, profert omnia: illa laudando, excusando, absolvendo obedientem; hæc reprehendendo, accusando, convincendo delinquentem. Priori modo bona, posteriori mala vocatur. Bona nimirum est non saltem transcendentaliter; Sed etiam moraliter, ratione causæ efficientis, objecti, subjecti & horum effectuum.* Atq; sic nihil aliud est, quam adjunctum S. B. proprium, aut, *Effectus ejus immediatus*, quia ex S. B., quæ actio est secundum virtutem, essentiâ, tanquam ex causâ immediatâ fluit, illudq; semper consequitur, adeò, ut ubi S. B. est, ibi simul sit & Conscientia bona. Illud tamen notes, quod Conscientia bona *inadequatè* hic accipiatur, quia cum Conclusionem Syllogismi practici tandem S. B. effectum *adequatè* constituit.

XXXVI. Ubi nunc *innocenti* testimonium dicit Conscientia, primò panegyricum quasi recitat, *laudando* obsequium ejus & factum, quò laudata Virtus magis magisque crescat. *Excusat* deinceps, dum rem benè factam esse statuit. *Absolvit* tandem à culpâ. Quando enim concludit, quod Vir bonus secundum honestatem egerit, ab eòdem removet id, quod inhonestum est. Posito enim uno contrariorum, removetur alterum. Qui inde non *effectus nobilissimi*? Vacare culpâ magnum est solatium. Accidat ergò: affligatur homo malis, obruatur calamitatibus, exponatur tormentis & suppliciis gravissimis;

--- -- hic murus aheneus esto,  
nil conscire sibi, nullâ pallefcere culpâ. *Horat. lib. 1. ep. 1.*  
Rectè quid. *Plautus in Most. Act. 1. Sc. 3. Ego si bonam famam mihi servaffo, sat ero dives: at ego, si bonam Conscientiam servaffo,*



so, ditissimus. Et indigni laudantur & honorantur; solis bonis propria est Conscientia. Ab opinione vulgi dependet fama & mutari potest; Conscientia bonum nostrum est & immobile. Pereat ergò fama, perennet modò Bona Conscientia.

*Conscia mens recti fame mendacia videt. Ovid. 4. Fast.*

Quid autem prodest, si omnes homines te laudant, & sola Conscientia accusat? Rectè Lips. cent. 1. ep. 77. *Mibi sententia de me non nisi apud me fertur, nec quis sim, alium rogo. Interno isto iudice si probus audiam, quid addent aut dement mihi hi sermones? Accedit animi letitia in rebus adversis æquè ac prosperis. Bona Conscientia optimus hominis thesaurus est, & jure convivium. Quæris Mantuanus:*

*Cur tibi tam levis est, cur tam jucunda senectus?*

Respondet: *Libera quod vitis tota juventa fuit.*

Virum bonum à fluctuatione, tædio & metu liberat omni bona Conscientia. Hinc Bias interrogatus; *quanam res in Vita metu careret?* Resp. *bona Conscientia.* Conf. huc exempl. *Philippi Medici Alex. M. ap. Curt. l. 3. c. 6. & Senecæ epist. 23.*

XXXVII. Ast quid, ubi de peccatis testatur Conscientia? Non ratione illorum tantum, tanquam *objecti*, aut *subjecti*, quod in malis reperiatur, mala audit; Sed etiam *rat. effectorum*. Boni ergò nihil habes expectare. *Reprehendit sc. & obedientiam & factum iniquissimum, accusat reum, & mox criminis convincit.* Est simul actor accusans, carnifex torquens, testis convincens, & tandem iudex condemnans. Sed qui sequuntur effectus? *Pudor, mæror, tremor, perturbatio & desperatio.* Nam ubi peccata in propatulo ponuntur, nos tenebras quærimus, & lucem fugimus. Hinc ubi cordis aculeos sentimus, sequitur tristitia. Perpetuus autem comes Conscientiæ malæ timor est, & *proprium est nocentium trepidare, Senec. ep. 97. Nemo tam audax, quem mala Conscientia non faciat timidissimum, quia scelerati Conscientia ad quemvis folij strepitum expavescit, irrequieta est, & dormire nescia, Curt. lib. 6. c. 10.* Hinc & illa perturbatio, quâ omnes facultates animæ, omnia membra Corporis concutiuntur & discruciantur, quasi à Carnifice lacerarentur. Verberat animum Conscientia, & neq; vigiliis neq; quietibus sedari potest. Sentit enim *pœnam promeritam*: immò ipsa Conscientia mala pœna maxima est,



... & multo sevirior illis,  
quas aut Ceditius gravis invenit, aut Rhadamantus,  
nocte dieq; suum gestare in pectore testem. Juven. Sat. 13.

Sentit quoq; iram DEI gravissimam, ob quam desperandum tandem, nisi Conscientiam sanaverit, i. e. respuerit, & gratiâ DEI juvetur.

XXXVIII. Ultimò tandem Conscientia, postquam præmiis aut pœnis digna judicavit facta, in ipsâ Syllogismi practici *Conclusione* proponit *Judicium* & *Sententiam de factis*. *Politicum* Magistratus, *Ecclesiasticum* Ministerii *judicium* effugere possunt peccatores; ad *internum* hoc Conscientiæ *judicium* omnes sistuntur, & facta examinantur omnia. Ubi à culpâ liber eris, & à pœnâ absolveris, bonæq; Conscientiæ accipies *complementum*; sin minus, ad pœnam condemnaberis, & malæ Conscientiæ morsus patieris. Prolixius hæc deducere, cum pateant ex modo dictis, opus non est, nec ob chartarum angustias licet. *Causam* verò ob quam *Judicium* exercet Conscientia, sub finem tractationis nostræ, perpendere adhuc liceat.

XXXIX. Est autem ea *omne id, quod obligat Conscientiam*. Ipsa scil. Conscientia dictando obligabat, nunc ipsa obligatur, i. e. in quavis actione adigitur, ut vel absolvat à pœna, vel ad eam condemnet. *Causa* verò ipsa obligationis gemina est: *principalis* vel *immediata*, quæ Conscientiam ex se, immediate, & virtute propriâ obligat, & est ipsa *Voluntas DEI*, qui solus in hominum Conscientias habet *Dominium*, sicut rectè *Stephanus Batorius* Rex *Poloniæ* quondam dixit, Deum tria sibi reservasse: *Ex nihilo aliquid facere, futura scire, & Conscientiis dominari*; deinde *subordinata* vel *mediata*, quæ Conscientiam non ex se obligat, sed tantum mediante vi & virtute legis divinæ. Et hujus generis quatuor allegant *causas*: (1.) *ll. humanas*, (2.) *juramentum*, (3.) *votum*, (4.) *promissionem simplicem*. *Causam principalem* obligare Conscientiam, dubitarum nunquam fuit: an verò & quomodo *causæ subordinate* Conscientiam nostram obligent, disputatum semper fuit: de quibus nunc ordine, aliquid adhuc agemus.

XL. Ad *Quæstionem* ergò: *An ll. humanae obligent Conscientiam?* antequam respondeamus, ad genuinum controversiæ statum quædam præmonemus. Nam quæritur (1.) *de ll., quæ divinis*



*consentiunt*, non quæ *adversantur*; (2.) *de gravioribus* potissimum, quæ pacem publicam, civilis societatis & puræ religionis conservationem spectant; *non levioribus*, quæ ad *evroxiar* tantum faciunt, ut sunt ll. de purgamentis Urbis &c. (3.) *de ll. quæ feruntur ab iis*, qui legitimâ potestate sunt instructi: (4.) *de obligatione mediata*, non *immediata*: (5.) *indirectâ*, ubi prævaricatio legis DEUM, ejusq; cultum remotè tantum attingit, quatenus generali ordinationi DEI resistitur; non *directâ*, quia ll. humanæ, quâ tales immediatè à DEO non sunt, ideoq; nec illarum violatio directè Conscientiam lædit. Quibus præsuppositis, quæsitum affirmamus. Conf. Bald. lib. 4. c. 12. cas. 15. Meisn. de S. B. p. 217. de Legib. p. 303. 313. Gerhard. L. C. tom. 6. de Magistrat. Polit. art. 1. th. 267. seq. & in Qq. polit. dec. 5. q. 8.

XLI. *Juramenta* itidem *Conscientiam obligant*, obligatione sc. modo explicatâ, idq; potissimum ob reverentiam Nominis divini, quod in juramento invocatur. Sint autem *Juramenta licita* non *illicita*, quæ cum scelere præstantur, majori cum impietate servantur: Sint *de rebus possibilibus*, non *impossilibus*: à personis sanæ, non *corruptæ rationis*: non *per creaturas*, sed *per DEUM*, eundemq; *verum* à fidelibus, *falsos* quoq; ab infidelibus suscepta. Sive nunc *amicis*, seu *inimicis* data sint, obligant tamen Conscientiam. Lex enim naturæ dicitur, ut quæ nobis fieri volumus, ea & ipsi faciamus. Hinc Cic. lib. 1. off. Regulum primo bello Punico captum, & fidem hosti datam frangere recusantem mirificè commendat. Sed quid si *fraude circumventus juramentum aliquis præstiterit*? Si dicto modo se habeat, obligare omninò videtur, præsertim, si exemplum *Josue* consulamus, Jos. IX. 18. & attendamus, quomodo juramentum tale miraculo comprobaverit DEUS Jos. X. 13. perjurium autem *Saulis* fame puniverit, 2. Sam. XXI. 1. Interim tamen *pro ratione circumstantiarum*, & si juramenti præstatio *justitiæ & æquitati contraria sit*, non obligare putatur. Quid si porrò *Juramentum vi aut metu sit extortum*? E. gr. Si aliquis inter Latrones incidat, & jure jurando certam pecuniæ summam promittat, ne occidatur. Affirmativa & hic placet, cum res jurata *possibilis sit & privatum* modò damnum inferat, *publicum* autem bonum potius promoveatur, quatenus membrum aliquod Reip. servatur. Adhæc *juramentum factum est DEO*, cujus nomen profanandum non est.

Interim



Interim ad Magistratum res deferri potest, ut Latrones puniantur. Si verò *fidem silentij addiderit*, an tum ea servanda simul sit, dubitatur. Quia tamen *de re illicita* est, & cum *publico damnò* conjuncta, *speciem* quoq; alicujus *collusionis* cum latronibus habet, frangenda videtur, ita, ut salvâ Conscientiâ Latrones indicare possit: quamvis nonnulli ob majorem Conscientiæ tranquillitatem hoc *in genere* tantum fieri velint. Plura de obligatione juramentorum lege apud B. D. *Balduin.* lib. 2. *Cas. Consc. c. 9.* & *Meisner.* de S. B. cap. 3. art. 1. q. 5.

XLII. *Vota quoq; Conscientiam obligant.* Ubi tamen observes, intelligi *Vota licita, non illicita.* Requiritur autem ad Votum legitimum quatuor potissimum: (1.) *nuncupetur soli DEO.* Licet enim jam ante omnia nostra DEO debeamus, & huic magis placeant, quæ liberè, quam quæ ex necessitate offeruntur: nihilo tamen minus excitari potest animus, ut promptiores simus, ad præstandum, ubi aliàs segniore esse solemus. Quamvis etiam necessitas hinc aliqua videatur adesse, ea tamen *debiti* tantum est, non *coactionis*, adeoq; cum libertate non pugnat. *Angelis* igitur aut *Sanctis* si aliquid voveris, votum illud licitum non erit. (2.) *Fiat à personâ libera, quæ sui juris est & ratione suâ uti potest.* Vovere hinc non possunt infantes aut amentes, quia voti naturam non intelligunt: nec ii, qui sub aliorum adhuc sunt potestate, puta liberos sub potestate parentum constitutos, uxorem vivò maritò, servos libertate non donatos. (3.) *Fiat de re possibili & licitâ.* Ad impossibilia enim nemo potest obligari. Et cur voveas, quæ in potestate non habes? Temerarius fores, si voto te adstringeres ad omne peccatum evitandum: hoc enim esset vovere, te pro remissione peccatorum non precaturum: ebrietatem, fornicationem &c. te evitaturum, vovere potes. Res etiam *licita* sit & *honestâ*, quæq; DEO placeat. Non ergò vovenda sunt peccata, aut res illicitæ. Aliàs valet illud *Isidori*: *In malis promissis rescinde fidem, in turpi votò muta decretum.* *Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.* Hinc de *Votò Jephthæ* rectè *Hieronimus*: *In vovendo fuit stultus, & in reddendo impius.* Nec vovendæ sunt res *leviculæ* aut *ineptæ.* E. gr. Si quis voveret de non edendis capitibus animalium ob cultum *Job. Baptiste*, aut de non edendis carnibus igni assis ob venerationem *S. Laurentij Martyris.* Materia ergò Vori sit *res possibilis, honesta,*  
*gravis*



*gravis & utilis. (4.) Fiat legitimò fine, ad gloriam sc. Dei & utilitatem proximi. Quid ergò de Monachorum voto paupertatis voluntariae, obedientiae religiosae, & Castitatis perpetuae habendum sit, quilibet videt. Quae plura de obligatione Votorum disputari possunt, lege sis ap. Aut. laud. Bald. c. 8. Meisn. q. 6.*

**XLIII.** *De promissione simplici, quae fit homini, idem statuimus. Sive enim promissio gratuita sit, sive onerosa, sive jurata, Conscientiam obligat: Illa ex parte tantum promittentis, ista ex utraq; hæc modo promittentis tantum, modò ex utraq; parte, prout gratuita est vel onerosa. Sit tamen promissio libera non metu vel dolo extorta, sit licita, deliberata & promissario grata, nec non cum potentiâ atq; intentione se obligandi conjuncta; Aliàs enim promissio data non obstringet. Ubi verò aliquis rem ita pollicetur, nec servat eandem, mendax est & subdolanus, atq; Conscientiam graviter vulnerat.*

**XLIV.** *Sic ergò, quantum potuimus, Conscientiae naturam perlustravimus; & quomodo dictamen, testimonium & judicium suum cum obligatione exerceat, explicuimus. Plura adjicere potuissemus, nisi legibus chartae obligatis finiendum foret.*

**Δ. T. Θ.**

**O**ptima res scire est; melior conscire, bonorum  
Conscia mens, Summi cum sit amica boni,  
Panditur alma Tibi, Reusnere, scientia; nam Te  
Educat in gremio sacra Minerva suo.  
Ut sint porrò Tibi, Deus imà est mente vocandus;  
Conscia corda boni, nescia corda mali.

*Politissimo DN. REUSNERO, Convictori  
& Amico suo dilectissimo de egregio  
specimine animatus gratulatur*

**ÆGIDIUS Strauch/SS. Theol. D. P. P.**

**C**onscia mens recti mundi sarcasmata ridet,  
Seu fremat ira soli, seu premat aura poli.  
Hec, REUSNERE, geras bonitatis tegmina: SURGES,  
Cum ruet in tectam pars malè recta stygem.

*Dn, RESP. Conterraneo, Contubernali, & Cömensali  
dilectissimo amicâ mente & manu ser.*

**PRÆSES.**



05 A 1873

ULB Halle

3

003 787 990




V217











Q. D. B. V.  
Ex  
Philosophia Morali  
De  
**CONSCIENCIA,**

in Electorali ad Albim Athenæo

*Sub PRÆSIDIO*

**M. DANIELIS Spiegelis /**

*disputabit publice*


*RESPONDENS*

**CASPAR HENRICUS REUSNERUS,**

Vratislaviâ - Silesius.

*a. d. 13. Jul. A. O. R. M. DC. LXIV.*

in Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.